DE

IMPERII POPULI DOCTRINA

QUOMODO ORTA SIT ATQUE CREVERIT USQUE AD FINEM SAEC. XVII.

PARS I.

COMMENTATIO HISTORICA

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPTAM EDIDIT

A. C. ALBERTUS HAMANN,

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXIX.

„Nullam ait Rankius sententiam politicam per saecula posteriora tantum valuisse, quantum „superioritatem“ [1]) populi. Hanc enim repressam interdum et non nisi ad opiniones hominum pertinentem, deinde denuo emergentem, quum inter omnes confessa sed nunquam sit ad effectum perducta multarumque rerum caput fuerit: quasi fermentum esse semper mobile recentioris aetatis [2]).“ Quibus verbis vir doctissimus docet, quanta vis fuerit illius regundae civitatis rationis, quae inde ab anno 1789 permultarum seditionum in civitatibus auctor exstitit. Ipsa doctrina jam paucis verbis circumscribatur: Respublica pactione constituta est, quam singuli et liberi et aequales homines se suaque defendendi causa inter se faciunt. Quare quum ab initio „superioritas“ totius populi sit, populus viros, qui rempublicam administrent, eligit, rerum, de quibus inter omnes convenit, exsequendarum auctores facit, iisque certa jura, honores, condiciones, circumscriptiones tradit. Qui mandatarii populi, qui magistratus vocantur, ne contra populi vo-

[1]) Liceat mihi hac voce inusitata vertere Francogallicum illud „souveraineté“ et Anglicum „sovereignity“.

[2]) v. Ranke, Engl. Gesch. II, p. 286.

luntatem faciant, necesse est ab ipso populo eligantur et ipsorum periculo rem gerant et, si peccent, imperium perdant. Atque priusquam, quomodo orta sit doctrina, explicem: quomodo refutanda sit, paucis dicere mihi liceat.

Homines enim, qui natura liberi et aequales sunt, in societate non sunt, quum in bonis comparandis variae hominum necessitudines existant. Qui enim nil vel pauca habent, indigentes sunt eorum, qui in possessione sunt, iisque subjecti: ita ut societas humana, quum praeterea possessio et non — possessio haereditariae esse soleant, in classes sive ordines quosdam dividatur, quorum alius alio inferior est. Unius ex his ordinibus in numero unusquisque civium est et republica in usum sui ordinis uti studet. Ji autem, qui in possessione sunt, quum et reipublicae administrandae vacent et liberali educatione et doctiores et prudentiores fieri possint et eos, qui ipsis in societate obnoxii sunt, in republica administranda in suam rem convertere valeant: fieri non potest, quin principatum in republica adipiscantur. Possidentes igitur leges dabunt eas, quae ipsorum rationibus maxime conducere videantur, et subjectorum dicionem, ipsorum potentiam stabilient imperioque potientur. Qui status rerum seditione non nisi in breve tempus everti potest, quoniam possessionis nexu novae necessitudines oriuntur, et qui rerum et opum domini sunt, iidem reipublicae erunt. „Superioritas“ igitur populi, quamvis libertatem et aequabilitatem omnium civium ostentet, nulla alia est nisi ea, quam ii, qui in rerum

possessione sunt, de inferioribns vel pauperibus vel opus facientibus exercent.

In hanc sententiam apud veteres respublicae constitutae erant, quas assectatores hujus disciplinae pro speciminibus habere et afferre solent. Quid? Nonne in Graecia et Romae multo majorem partem populi minor doctorum et divitum ordo subjectam tenuit et sibi ipsi magistratus et legum lationem sumpsit, dum illi plurimorum jurium expertes in horum usum opus faciunt? Perfectissimae igitur liberae reipublicae imagini, quam superioritatis populi doctrina proponit, principium societatis repugnare apparet. Ex hac ratione, quamquam assectatores illius doctrinae universi populi voluntatem per magistratuum personas quasi repraesentari volunt, tamen, quum ad societatis arbitrium, quae sine ordinibus et superioribus et inferioribus esse non potest, totam rempublicam conforment, ipsa libertas et aequabilitas funditus tollitur. Nec nisi rex, magna auctoritate praeditus, impedire potest, quin societas, in singulos ordines divisa, tota republica potiatur. Id enim regem agere aequum est, ut quam alienissimus a societatis commodo, universi populi salutem spectet, eos, qui pauca possident, ab iis, qui opibus valent, defendat, etiam inferiorum voluntates et sententias ad aestimationem justam producat, itaque auctor sit verae illius rationis civilis, ex qua respublica in communi omnium voluntate, ad unam personam relata, posita sit. In hunc modum apud Germanos regnum conditum et excultum est, quum periculum esset, ne ob inaequalitatem juris privati et

ob ordinum pestem respublica societate vinceretur. Recentiore igitur aetate, quum adeo ordines in rebus publicis propenderent, ut inaequalitas et servitus extremae essent, ex rerum necessitate regnum summa auctoritate fulciri et sustineri persaepe videmus.

Etiam sic „superioritatis“ populi doctrinae occurrere possimus: Pactionis, in qua quasi in fundamento rem publicam constitui assectatores illius doctrinae volunt, nullum exemplum in rerum memoria invenitur, neque omnino pactio fieri potest nisi in republica legitimo ordine constituta. Pactio igitur fit p o s t civitatis constitutionem.

Adde quod, quum majore parte suffragiorum foedus ineatur, minor pars, quamvis magna sit, assentire cogitur, quare facile talem rempublicam, in qua penes populum summa rerum sit, minime ex libero o m n i u m convento nasci intelligas. Neque quum omnia humana certum temporis spatium, ut maturescant et fruges ferant, transigere necesse sit, diuturni aut firmi quidquam in ea civitate inest, in qua communi aut spe aut metu aliquo reipublicae statum labefactare populo omni temporis puncto liceat. Quod autem majus periculum civitati afferri potest, quam si, legum continuatione atque contextu diremto aut sublato eisque formis juris solutis, quibus cives, quid justum sit, quid non sit, cognoscere soliti sint, plurimorum mentes turbantur, deinde omnia divina atque humana jura miscentur? Neque enim, nisi omnes cives ad servitutem juris se adstringunt, probabilis et firmus status reipublicae existere potest. Ne multa: ex hac populi

„superioritatis“ doctrina rempublicam perfectam et stabilem constitui non posse, annales omnium populorum testes sunt. Quae doctrina, quamquam ab Rousseavii aetate demum illo nomine (la souveraineté du peuple) nota est et Franco-Gallica seditione florebat et breve tempus vigebat, tamen re vera multo prius exstitit, jam quomodo orta sit quantumque valuerit usque ad finem saeculi XVII., explicare conabor.

Dubitari non potest quin veteres Graeci dominatum et „superioritatem“ penes populum esse statuerint. Documento sit Arist. Polit. V. „Quem populus, inquit, repudiat, non jam rex sed tyrannus exstat.“ Neque Romani, reipublicae imperium et auctoritatem in universo populo positam esse, non persuasum habebant. Atque Cicero quidem (de lege agraria): „Quum omnes potestates, imperia, curationes, inquit, ab universo populo proficisci convenit, tum eas profecto maxime, quae constituuntur ad populi fructum aliquem et commodum.“ Quid, quod imperatorum etiam aetate illam opinionem in creandis imperatoribus valuisse apparet? Per totum saeculum primum usque ad Trajani et Hadriani aetatem renuntiatio imperatorum non nisi comitiis habitis fieri poterat, et Augustus, quum et tribuniciam potestatem per comitia et proconsularem per senatum deferri necesse esset, populo universo se honores debere (quamvis non nisi formae retinendae causa factum esse constet) confessus est. Sic Gajus I. 5. fr. 1. D. de const. princ. (1. 4.) c. 1. § 7. C. de vet. jur. enucl. (1. 17.). Et proprium est imperii, quod populi illa legitima actio in unoquo-

que imperatore creando repetenda erat. Quum tamen legum ferendarum potestas jam Tiberio imperatore a comitiis in senatum translata esset, senatus imperatorem creavit, populo in Campo Martio imperatoris acclamatio relicta est. Atque testis hujus rei est Lex de imperio Vespasiani. Et in Justiniani institutionibus expressis verbis dictum est, „exinde Caesares regnare, ex quo lege regia populus iis et in eos omne imperium suum et potestatem concesserit.“ Quae lex regia, quum Carolus Magnus imperator Romanus crearetur, renovata est [1]. Alia autem veterum de principatu populi opinio, alia recentiorum, qui de constituenda et administranda republica cogitaverunt. Et veteres Graeci et ii Romanorum, qui libera republica utebantur, populum intellexerunt divitum ordinem, quorum legum ferendarum jus et reipublicae administrandae potestas esset. Magnus numerus eorum hominum, qui pauca possidebant vel opus faciebant, omnino aut maximam partem jurium civilium expers erat. Quare libertas et aequabilitas civium, in quibus quasi fundamento disciplinam niti volunt qui pro superioritate populi pugnant, apud veteres nulla erat. Et imperatorum Romanorum aetate ut lege sancitum erat, summam auctoritatem penes populum esse, ita imperatores, qui secundum voluntatem populi et pro populo se gubernare contendebant, cujus omnis potestas delata esset, totius orbis terrarum libertatem oppresserunt.

Per medium aevum disciplina illa apud Germanos nusquam exstat. Quorum reges quum Novum

---

[1] Schweppe, Röm. Rechtsgesch. p. 265.

Testamentum (Ep. ad Rom. XIII. 12. Col. I. 16. Matth. XXII. 21.) respicerent, Deo se potestatem debere, ut universos Christianos defenderent, sibi persuadebant. Eandem potestatem esse papae; hunc et regem inter se tueri et adjuvare debere. Quae sententia, quae Ghibellinica appellatur, in altero medii aevi, qui est de jure, libro, in speculo Saxonico, perscripta est[1].

Contra papae, regum gubernationem ab ipso deo conditam esse, refellere studebant, et Innocens III anno 1245, Christum, ait, Petro etiam terrestris regni claves tradidisse, et papam a deo etiam gladium regium accepisse, deinde imperatori coronato praebuisse. Et in speculo suevico legitur: Ex quo deus orbis pacator nominatur, duos gladios Christianos defendendi causa in terra reliquit, quum in coelum eveheretur. Quos gladios, alterum ad regis, alterum ad ecclesiae judicium, St. Peter mutuos dat; priorem papa regi praebet. Ab hac Welfiana sententia, ex qua circuitione quadam, divina regis imperii origo conceditur, discrepat Hildebrandi, qui jus divinum a summo magistratu prorsus alienum esse dicit. Idem rempublicam ut carnis, libidinum, peccatorum imperium quasi appendicem ecclesiae annumerandam esse, ac reges eorumque magistratus potentiam turpiter sibi arrogasse contendit[2].

Sub finem deinde medii aevi et recentioris aeta-

---

[1]) Tvei svert lit got in ertrike to bescermene de kristenheit. Deme pavese is gesat dat geistlike, deme keisere dat wertlike.

[2]) Gregorii Lib. VIII. Epist. 21. (apud Luden).

tis initio principum auctoritas apud omnes fere nationes ex rerum necessitate aucta est. Nam quum societatis mala et, quae ei innata est, officiosa servitus civilem ordinem subruissent, et, civitatis bene regendae idea ex hominum memoria excussa, ordinum commodis et rationibus omnes servirent, ut intolerabile jugum nihil possidentibus impositum esset: hic status rerum, nisi principum potestate adaucta, in melius mutari non poterat. Quare per XV et XVI saeculum apud omnes populos principes cum ordinibus pugnare et superiores evadere licet animadvertere (veluti in Germania principum singulorum potestas equitibus inmunibus fractis crescit atque luxuriat): quo fit, ut doctrina reipublicae a solis principibus repraesentandae revirescat. Accedit, quod et illa de regni divina origine sententia, de qua supra diximus et quam Ghibellinicam appellavimus, et Lutherus atque reformatio Germanica permultum ad principum auctoritatem fundandam et muniendam contulerunt. Etenim quum in omnibus ceteris rebus tum in doctrina de obedientia magistratibus praestanda, quam Pauli maxime epistolae nobis mandant, augusti illi viri, qui ecclesiam emendarunt, literarum sacrarum praecepta secuti sunt. Quid, quod etiam injusto magistratui parere Christiani esse, omnibus persuadebant. Nimirum principum Germaniae auxilio, contra papam et catholicos principes lato, Lutheri ecclesia salutem debebat. Neque inviti catholici principes paullo post etiam sibi ipsis sanctitatem illam et obedientiam et officium non recusandum, quod ecclesia Lutheri statuendum esse censebat, vin-

dicarunt, ut liberi essent a curiae auctoritate atque imperio.

Contra Jesuitae neque (ut nova ecclesia) magistratuum auctoritatem augendam neque principum potestatem, quippe qui divinitus imperium accepissent et sui juris essent, firmandam esse statuebant, sed populi „superioritatem“ defendere studebant. Anno enim 1562 Lainez, princeps societatis Jesu, in concilio Tridentino haec enunciavit: differre ecclesiam dei et hominum civitates. Illam enim non ex se ipsa fieri neque gubernationem sibi instituere, sed a Christo, principe et rege suo, leges accepisse, respublicas autem libero arbitrio se ipsas conformare. Ac principio quidem omnium esse potestatem, deinde in magistratus deferri; neque tamen populum hanc potestatem prorsus exuere [1]).

Bellarminus quoque (de membris ecclesiae militantis III, IV), gubernationem, quippe quae ex hominum natura orta esset, ea ipsa de causa divinae originis esse (et naturam nostram divinitus ortam esse nemo est, qui neget), demonstravit. Hoc autem divinum imperii jus deum non singulis sed universae multitudini dedisse; potestatemque esse totius multitudinis. Sic acceptam potestatem multitudinem uni vel pluribus suo arbitrio deferre, neque tamen sic potestatem principalem in omne tempus exuere, sed legitima de causa gubernationis mutandae potestatem habere.

Eandem doctrinam Mariana in libro quem in-

[1]) Ranke, Histor.-polit. Zeitschrift II. 1833—36.

scripsit „De rege et regis institutione“ in primo libro accuratius et fusius explicat. Qui a bello omnium contra omnes incipiens societates singulas mutui auxilii causa coivisse existimat et propterea unum elegisse, cui summum imperium traderent. Quum tamen non omnem potestatem cives amittere vellent ita in principem potestatis jura detulisse, ut summum sibi ipsis imperium atque arbitrium retinerent (p. 17). Unius imperium tum demum probatum esse, si princeps, ex optimorum civium numero senatu constituto, ex illorum judicio rempublicam administraret (p. 26). Hereditarium imperium non esse legitimum. Salutis publicae causa ex communi populi convento continuationem imperii interrumpi posse. Regem nil nisi ducem et magistratum populi esse, qui, operae pretio, publico salario frueretur (p. 43).

Qua doctrina inventa a Jesuitis, ut, regum auctoritate clericali postposita, ecclesiae potentiam augerent, paullo post quasi telo contra catholicas rationes et earum tutorem et fautorem, Philippum II, Batavi usi sunt, quo defectionem a principe hereditario probarent. Die 26. mensis Julii 1581 Ordines Hollandiae Hagae renunciationem quandam promulgarunt, in qua haec sunt scripta: non principis causa populum a Deo factum esse, cujus arbitrium pro lege aestimandum esset, sed in usum populi a populo principem institui, quem ut patrem liberos, ut pastorem oves, ita subjectos custodire, educare, regere ex justo atque aequo deceret [1]). Eodem modo ordines paullo post etiam

[1]) v. Leo, Weltgeschichte III, p. 512.

Elisabethae, Britanniae reginae, querenti, quod ad Licestrum se ipsa inscia summum et perfectissimum imperium detulissent, responderunt: Vocem „perfectissimi imperii" significare imperium summi ordinum praefecti, ut provincialium praefectorum discrimen interponeretur, neque tamen illo perfectissimo imperio „superioritatem" intelligi (sic enim Elisabetham vocem videri interpretatam esse); „superioritatem" penes Ordines esse, imperium Licestri mandatum esse [1]. Tamen ea doctrina „superioritatis" populi, quam Jesuitae et ordines Hollandiae pronuntiabant, ab ea qua post quinquaginta annos Britannia et post ducentos annos Gallia tumebant, aliquantum discrepabat. Jesuitae enim, nisi forte accepta videbatur, ut principibus documento esset, quanto humilior ipsorum auctoritas papae divino imperio esset, doctrina non utebantur, ita ut eo tempore haec ratio in universi populi animis nequaquam vigeret. Atque in Hollandia quidem tantum aberat, ut ad illius doctrinae normam respublica dirigeretur, ut eodem modo, quo in Italicorum rebus publicis medii aevi, ubi doctrina illa nota non erat, penes optimates summa rerum esset. Jam vero animi vis et vigor, quo conscientia totius populi perfunderetur, atque opinio et fides, qua publica magnorum imperiorum disciplina ad tempus everteretur, doctrina, de qua dicimus, in media ecclesia reformata facta est, cujus disciplina et origo patrona illius doctrinae esse debuit. Hac enim ecclesia nulla magis a Romanae curiae praeceptis et institutis abhorrebat. Quae

[1]) Leo Weltgeschichte III. p. 518.

enim longius inter se distare possunt, quam caeca fiducia absolutaque obedientia clericorum, omnes laicos sub tutela sua continentium, atque idea de communi sacerdotio, quam Genevensis ecclesia probabat? Quae unumquemque literas sacras cognoscere, de earum sententiis et argumentis cogitare, quem impetus animi induceret, ad interpretandos locos et ad verba de rebus divinis facienda accedere voluit. Secundum hanc doctrinam, quae a clericorum arrogantia, qui, omnia magisterio suo moderari soliti, omnes dicto audientes sibi esse voluerunt, non alienissima esse non potuit, forma et disciplina ecclesiae popularis facta est, ita ut magistratus ex libero suffragio conventus crearentur atque pastores a civibns instituerentur. Ac ne illud quidem negligendum est, quod ut in doctrina et gubernatione, ita etiam in habitu exteriore ea simplicitate aedium sacrarum, vestimenti caerimoniarumque utebantur, quae democratiae, ut ita dicam, et imperii popularis esse videatur. Atque Lutherana quidem ecclesia nutrita, custodita, defensa a principibus Germaniae aucta est, hujusque operae eam non immemorem fuisse docet doctrina severae et rigidae principibus praestandae obedientiae, reformata vero pugnando et decertando cum civitatum principibus crevit, bellis acerrimis gerendis in Gallia, Britannia, Scotia corroborata, capite Genevensi libera republica usa est. Eam igitur ecclesiam, quae in pugnando contra magistratus legitimos salutem sibi positam esse videret, in absolutam principum potentiam non pronam fuisse, haud difficile est intellectu. Atque Calvinus quidem,

auctor et princeps sectae, ut certamen contra principis potestatem, quod cum literis sacris non congrueret (Jerem. 17, 8.), parum probavit et privatos homines de republica administranda disceptare supervacaneum esse censuit, ita circumscriptae principum potentiae et ei generi reipublicae, quod nos constitutionale dicimus favebat [1]). Verum bellorum Hugenotticorum aetate et maxime ex quo horrenda illa caedes noctis Bartholomaei facta erat, utrum principi et magistratibus resistere fas esset necne, multi quaesierunt, et La Boétie, Hottman, Languet, alii populi causam susceperunt. E quibus La Boétie, originem regis potentiae populi voluntatem esse, docuit [2]), Hottman [3]), ex jure Franco-Gallico regis potentiam limitatam esse, demonstravit, Languet [4]), regi legibus obedienti obediendum esse statuit. Inter omnes tamen convenit: si regis imperata a literarum sacrarum praeceptis discreparent, licere magistratibus resistere, deo enim magis quam hominibus esse obediendum. Nihilo tamen secius tum quidem reges, Hugenottorum et nobilium seditione repressa, quum regnum et religione et arte politica munivissent, ingentem sibi et potestatem et auctoritatem paraverunt, ut duobus saeculis praetermissis demum cives eo progrederentur, ut doctrinam de „superioritate" populi publice probarent. Transeamus jam, si placet, in Britannorum insulam, in qua

---

[1]) Discours sur la servitude volontaire ou le Contre un. 1548.
[2]) Institutio relig. Christ. cap. XX. De polit. administratione Nr. 8.
[3]) Franco-Gallia Hottmanni.
[4]) Vindiciae contra tyrannos Huberti Langueti.

novae de republica doctrinae per funestorum bellorum cursum paullatim formam et speciem ceperunt. Idem, quod in continenti, certamen de libero de rebus divinis judicio, maxime assectatorum ecclesiae Genevensis contra Catholicos et Episcopales, novam reipublicae regendae disciplinam peperit, quae, accedentibus etiam aliis causis, aliquantum temporis auctoritate summa in republica valebat. In Scotia enim quum reformati a Catholicis, Maria Guise et Maria Stuart auctoribus, et ab Episcopalibus, Jacobo I et Carolo I regnantibus, opprimerentur, nata sunt consilia seditiosa, ad fundamentum reipublicae spectantia. Sic civilis libertatis studium atque idea in Scotia ex ipso in rebus divinis libertatis amore orta sunt. Auctores autem novorum consiliorum erant congregationes et synodi presbyterianorum clericorum.

Etiam apud Anglos Puritanorum cum Catholica Maria aliisque, qui papae obsequebantur, principibus et cum Anglicana, quae dicitur, ecclesia dissensione factum est, ut in tota republica administranda populi voluntas regi anteponi inciperet. Accedunt autem civiles quoque discordiae inter principem et populum, quibus cives, quum de juribus suis cedere nollent, ad novas civiles doctrinas rerum necessitate cogebantur. Sed distinctius res consideranda est. Emendatio ecclesiae Anglicanae a rege facta nil aliud mihi videtur fuisse nisi popularis seditio contra externam papae dominationem. Quoniam autem rex summum de rebus divinis imperium sibi sumpserat, ex quo et episcopos et sacerdotes crearet et de ipsa doctrina constitueret

nec omnino praeter ipsum et clericos (qui a rege penderent) arbiter aut judex divinarum rerum existeret quisquam, huic in divinis rebus auctoritati in immensum auctae pares sibi civiles opes parare studebat, eoque majore contentione rem suscepit, quo magis prisca illa disciplina reipublicae ipsius auctoritas circumscripta esset. Quae igitur obstabant: curiarum duarum legum ferendarum potestas, judicia perpetua, soluta paene et sui juris communalis (quam vocant) administratio, ei removenda aut coercenda erant. Quid mirum igitur, si ii cives, qui jura et privilegia a majoribus accepta retinere volebant, iis qui in rebus sacris novarum rerum studiosi erant, se adjunxerunt? Atque tum quidem profecta est doctrina de „superioritate" populi a Scotis, inter quos eodem tempore quo Maria, Philippi II uxor, apud Anglos protestantium, qui vocantur, doctrinam igni et ferro persequebatur, Maria Guise conamina emendandae ecclesiae crudeliter oppressit. Tum vero Knox, ejectus prius ex Scotia, deinde ex Anglia, magna voce in mulierum dominationem invectus est [1]) et Goodman [2]) pronunciavit, mulieres non decere regia potestate affici, et affectas re male gerenda in populi manus auctoritatem suam abjicere, id quod viros illustres non facturos fuisse putandum est, nisi quantopere studium et voluntas in principes ob morositatem et fremitum dilaberentur, intellexissent. Nobis autem libri illi documento sunt,

---

[1]) First and second blast of Trumpet against the monstruous regiment of women.

[2]) How superior powers ought to be obeyed.

Scotorum protestantes illa quidem aetate omnia moliri non dubitasse, modo si ad Romanae curiae praecepta minus adstricti essent. Atque invidiam et iracundiam Scotorum ex pravo et corrupto statu rerum et cruenta oppressione ecclesiae emendandae consiliorum ortam praetermitto: illud dico, conditam esse Scoticam ecclesiam Maria Guise resistente anno 1556 et subsecutam esse apertam adversus magistratum seditionem, simulacrorum ejectionem, monasteriorum dirutionem. Scotici enim protestantes sic existimabant: civis esse principi parere secundum Dei praecepta, Dei autem apertae voluntati adversanti principi civem obedientiam non debere, idiolatram ex imperio ejici posse, emendationes aut ecclesiae aut reipublicae ex divinis legibus necessarias si quis rex recusaret aut proferret, ad aliorum potestatem deferri jus et officium emendandi[1]). Liquet igitur, resistendi in rebus divinis consilia orta esse, quae principum dominationi periculosa fieri necesse esset. Atque quod antea aperte pronunciatum erat jus resistendi, adversus Mariam Stuart etiam re vera cives exsecuti sunt. Qua expulsa Catholici non jam erant metuendi: aliud discidium exstitit. Postquam enim Jacobi VI opera episcopales superiores discesserunt et anno 1573 in synodo Leithiana episcopatus restituti sunt, anno 1589 parlamentum quoque Episcopalem ecclesiam ratam fecit et regi summam auctoritatem detulit. Tum Presbyteriani hujus auctoritate et suprematu repudiatis postulabant, ut viros ex singulis communionibus deligi liceret, qui

---

[1]) v. Ranke, Engl. Gesch. I. p. 326.

sacerdotes eligerent doctrinae integritatem et puritatem servarent leges ecclesiae ferrent. Auctor hujus factionis Andrew Melville: duo ait regna esse in Scotia, quorum alterum ecclesia contineretur; inter ejus subjectos etiam regem esse. Eos, qui gubernarent hoc regnum, sufficiente auctoritate divina praeditos esse; regem, qui utrumque regnum retinere vellet, utrumque perditurum esse [1]). Et Johannes Major eam doctrinam, quae in conciliis XV. saeculi de ecclesia et papa ficta, papam divinitus quidem potestatem accepisse, sed ab ecclesia, penes quam summa auctoritas esset, si rerum necessitas cogeret, ea privari posse statueret, in suum usum convertit et de cathedra sua pronunciavit: Etsi regis esset ab initio potestas, quam pater filio traderet, tamen auctoritatem summam penes populum esse, quare regem reipublicae perniciosum, qui emendari nollet, regno moveri licere [2]). Easdem sententias atque opiniones etiam apud Buchanan, Calderwood, Melville natu minorem invenimus. Quae quum in Scotia ita essent, Elisabethae Britanniae sapienti gubernatione regno inimicorum et infestorum seditio procrastinata erat. Quamquam enim jam per decennia aliquot hominum de rebus divinis opiniones mutatae erant et Calvini doctrina, quae Episcopali disciplinae regisque suprematui infesta erat, in dies magis animos occupabat, tamen regina illa, omnibus civibus in unum conjunctis ad bellum illud, quod pro evangelica doctrina contra Catholicos et Philippum II,

---

1) Ranke I. p. 487.
2) Ranke I. p. 589.

hostem perniciosissimum Angliae, summa cum laude gessit, summas populi cupiditates, studium delendi papae imperii atque amorem gloriae et magnitudinis Britanniae explevit, ut etiam Puritanorum voluntates, quamvis in eos saeviret, sibi conciliaret. Attamen latius et altius novae de imperio opiniones serpserunt, id quod, quamquam rerum effectu nondum comprobatae erant, in libro illustrissimo, quem Richard Hooker edidit, cernimus. Qui quum legum ferendarum potestatem etiam ad res divinas valere demonstrare et regis in rebus sacris auctoritatem, quippe quae a parlamento legum ferendarum potestate praedito constituta sit, defendere conatur: ipse quoque ad pactionem, qua civitas contineatur, redit [1]. Primum quidem rerum necessitate et indigentia atque mutuo quodam studio et amore ductos homines in societates singulas cogi et pactione facta ab ipsis constituto imperio se subjicere, ut eorum opera, quibus potestatem deferant, pacis quiete et felicitate reliqui fruantur. Et quamquam sapientissimus quisque a natura ad gubernandum comparatus esse videatur, tamen consensu omnium opus esse. Familiae, non magnae societatis publicae regendae singulos jus potestatemque habere. Regum potestatem aut in consensu hominum aut in divino dono positam esse. Quum enim eorum patria potestas ad multitudinem pertinere non possit, effici eorum imperium aut arrogans et non — legitimum aut legitimum, id est vel concessum a subjectis, vel

[1]) Richard Hooker: Of the Laws of Ecclesiastical Polity 1595. Liber I. cap. X.

tributum ab ipso Deo. Magistratibus autem uti naturae humanae consentaneum esse; magistratusque esse Dei voluntate, creari ab hominibus. Initio quidem populos sapientiae regis fortasse sine conditionibus gubernationem mandasse; quum autem intellectum esset, remedium perturbati et neglecti status, qui ante magistratus creatos esset, majori damno esse posse, quam ipsum illud malum, leges latas esse, ex quibus et rex et subjecti officium suum et poenam neglecti officii cognoscerent. Eisque legibus cives non, nisi omnium consensu datae essent, adstringi. Hoc modo eum, qui Anglicanam ecclesiam defendit et legitimam eam esse, quum Parlamenti decreto sustentaretur, contendit, niti animadvertimus in ea doctrina, quae eidem ecclesiae postea periculosissima esset. Hookeri amicus quidam, Saravia, eo ipso tempore item Anglicanam ecclesiam defendere conatus eodem errore, quo Jesuitae, captus est. Divinam enim originem et sanctitatem ecclesiae quum omnibus probatam vellet, de regis auctoritate detraxit. Nulli ait populo Deum certam et perpetuam reipublicae formam praescripsisse, unamquamque certis temporibus ex lege mutari posse: ecclesiae autem disciplinam, quum ad ipsum Deum referenda esset, stabilem et perpetuam esse [1]). Posteaquam a. 1603 Stuartorum gens etiam Anglicanum imperium suscepit, quae antea cohibita erant, partium studia effrenata sunt et in acerbissimam regiae potestatis invidiam atque in seditiosas de republica gerenda sententias inciderunt. Quid enim? In rebus et divi-

[1]) Macaulay. Essay on Halam's constitutional history.

nis et publicis, domi forisque quum voluntati, commodis rationibusque civium obsisterent reges, sibi ipsos sortem parasse negabimus? Quum enim protestantium res tueri saevoque contra Catholicos bello populi voluntates ac studia explere regem necesse esset, Jacobus mediam viam inter utrasque partes secutus magis Hispanis, infestissimis Britanniae hostibus, et Papae favebat; atque Carolus I in bello triginta annorum, quamquam necessitate cum Palatina gente conjunctus et studio populi Britannici ad bellum provocatus erat, tamen Germaniae protestantes in summa discrimina projecit. Quid igitur mirandum, quod Britannorum respublica, domi forisque inconstanter et sine laude administrata, minus quam antea apud Europae nationes valuit? Illud nescio, an multo majorem admirationem excitet, quod, quum sic res sese haberent, domi tantum imperium sibi sumere uterque rex studebat, quantum nemo unquam Britannorum princeps habuerat. Ac Jacobus quidem de sanctitate et auctoritate regum sic statuebat: Regem, cujus imperium ex patriarchica gubernatione duxit, esse praefectum dei in terra; nulla populi voluntate circumscriptum non modo compellari non posse, sed lege etiam superiorem esse. Parlamenta autem ipsius gratia ac benevolentia potestatem habere; quare privilegiis quamdiu regi liberet, ea uti. Ad hanc igitur sententiam, quam libere professus est, populum gubernandum esse ipse et filius existimabant atque eo minus id facere dubitabant, quo majore ac paene infinita potestate Gallorum atque Hispanorum reges,

ordinum repugnantia fracta, uti viderent. Ad hanc igitur tantam auctoritatem quum ipsi quoque aspirarent, quantum inter Britanniae et illorum regnorum condicionem interesset, prorsus eos fugit. Etenim in Gallia, Hispania, Germania summa ordinum dissimilitudine et servitute, qua ex nexu feudali et Ordinum privilegiis sub finem medii aevi populi oppressi tenebantur, non minus quam studio et impetu imperii in unum conjungendi principibus auctoritatis permultum insuper additum est. Contra in Britannia neque clientelae necessitudo tanta tamque periculosa erat neque Ordinum jus et honores tantum, quantum in continenti, valebant (quo factum est, ut dissimilitudo civium et servitus non eaedem essent), atque natio una terra unoque imperio jam per multos annos continebatur. Accedit, quod continentis imperia, commercio, artibus, inventionibus in dies magis auctis, arctiore necessitudinis vinculo inter se juncta et semper inter se certantia militem perpetuum habere coacta sunt, quo nil magis principum auctoritatem defendere, sustentare, corroborare constat. Jam vero quum Britanniae, situ satis superque defensae, miles perpetuus non opus esset, ne regiam quidem potestatem augeri consentaneum erat. Nihilo tamen minus, quum illud reges praeteriret, potestatis augendae caussa Episcopalem ecclesiam, quae regibus originem deberet permultumque apud populum valeret, sibi adjunxerunt. Quid? Jacobi illud: „nullus rex, nullus episcopus“, nonne documento est, persuasum ei fuisse, regem qui absoluta auctoritate uti studeret, Episcopalis ecclesiae

auxilio carere non posse? Quum igitur gravissime in omnes, qui ab Episcopali ecclesia abhorrebant, consuleretur et clerici orationibus explanarent, reges sanctos esse neque rationem reddere debere, subjectos dicto eis audientes esse oportere, fieri non potuit, quin in Puritanis adeo vexatis aliae opiniones de regum origine atque legitima potestate existerent et, quae ad illud tempus in rebus divinis solis repugnantia fuisset, etiam in republica administranda fieret. Quae quidem repugnantia in parlamento exarsit, quod inter bella civilia usque ad doctrinam populi „superioritatis" progredi videbimus. Mutua enim invidia et suspicio quum Jacobo regnante inter regem, qui se jure et lege in parlamentum obstrictum esse negavit, et inter parlamentum, quod ipsius regis dictis praemonitum cum aemulatione et obtrectatione privilegia retinebat, intercederet, unio cum Scotia, ubi Jacobi praerogativa major esset, quam in Britannia, oppressio Puritanorum, perpetuae regis pecuniae concedendae postulationes, rerum externarum administratio populo non probata, alia fremitum et indignationem parlamenti moverunt. Quo certamine orto parlamentum jam excedere coepit ea jura, quae a majoribus constituta erant, neque injuria Jacobus parlamento postulante, ut foedus atque amicitia cum Hispania rumperetur, anno 1621 queritur, praerogativam suam parlamenti intercessione violari, se ipsum de foedere cum aliis nationibus faciendo constituturum esse. Si religio et respublica atque adeo domesticae suae res in consultationem parlamenti venirent, quid „superioritati" suae relinqui[1])?

[1]) O. Parl. histor. V. p. 513.

Posteaquam autem nuptiae, quas intendebat, filii cum Hispanici principis filia disjectae sunt, anni 1624 parlamento, quae anno 1621 recusaverat, non concedere non potuit: De pace non nisi parlamento concedente agi posse; pecunias, quae parlamento concedente decretae essent, in parlamenti potestate esse. Quin etiam, ministros regis compellari posse, denuo Cranfieldi damnatione, qui Hispanicis rationibus faveret, probatum est. In hunc modum Jacobo regnante parlamenti vis et auctoritas, vindiciae atque vigilantia non mediocriter auctae erant. Carolus I idem quod pater de divina regis origine et sanctitate sensit. Eodem consilio, quo insignes illi principes catholici illius aetatis, Ordinum in republica administranda intercessionem quum et ipse reprimere studeret, auctoritatem suam ecclesiastico principatu firmabat. Nec clerici Episcopalis ecclesiae non parati erant regis praerogativam in Hibernia, Scotia, Britannia defendere et tueri, quoniam eisdem quibus rex inimicis utebantur, Presbyterianis et Puritanis. Jam vero novas et inauditas de regis imperio opiniones purpurati et clerici finxerunt. Jam Spottiswood de St. Andrews, episcopus Scoticus, dixerat: regem quidem populi causa regnare, sed de unoquoque, quasi caput omnium, summum imperium habere, pactionem inter regem et populum nullam esse, neminem principi obedientiam detrectare debere [1]). Tum autem docebant: omnem gubernationem ex patriarchica potestate nasci, regis auctoritatem a deo, parlamenti auctoritatem, fortasse

---

[1]) Ranke, Engl. Gesch. I. p. 589 sqq.

seditione occupatam, ab hominibus originem ducere. Num seditione jus ullum fieri? Regii autem muneris jura deo invito deponi non posse, ne jurejurando quidem regem obstringi. Quid? pugnare etiam cum regis officio, eum semper in jurejurando, quod ex legibus regni fecisset, manerè. Quas si nocentes esse intellexisset, regis esse mutare, sicuti in literis sacris scriptum esset. Si tibi oculus dexter stomachum facit, evelle et abjice [1]). Tales sententiae si vicissent, parlamentum in disciplina publica manere non potuit. Jamque Carolus ab omnibus legibus liberandi potestatem praerogativae suae esse contendit, et qui eum sequebantur, exactionem tributorum ex arbitrio regis fieri probare studebant; quoniam regis esset, fines regni defendere, ejusdem esse pecunias cogere, quibus milites sustentaret. Quid? quod Manwearing, clericus quidam, libello anno 1629 edito, parlamenti esse tributa concedere negavit, et ex locis quibusdam literarum sacrarum regis absolutam potentiam duxit [2]). Contra parlamentum populares de rebus divinis et publicis opiniones et libertates defendere sibi proposuit. Neque aliter contra regis potestatem, ecclesiastico suprematu auctam, disciplinam reipublicae et jura et privilegia populi servare ac tueri potuit, nisi suam ipsius auctoritatem novis juribus amplificaret. Quapropter jam primis annis Caroli I regni in inferiore curia doctrinae natae sunt, quae regis superioritatem

---

1) Gneist, Vorlesungen über Engl. Verfassungsgeschichte, Winter-Semester 1864—65.

2) O. Parl. Hist. VII. p. 208.

negarent, etsi praerogativam, sed qualis secundum leges esset, ei tribuerent. Id quod mense Majo a. 1628 factum est. Quum enim inferior curia postularet, ne quis, indicta causa, etiamsi ceteroquin juridicae formae servatae essent, comprehenderetur, frustra superior curia conata est addere hanc clausulam: „tamen regis ‚superioritatem', qua populi tuendi causa praeditus esset, integram mansuram esse [1]." Posteaquam deinde his certaminibus inter Carolum et prima illius regni parlamenta illustris illa „petition of right" regi extorta est, qua in primis parlamenti tributi concedendi jus comprobatum et sancitum est, Carolus intercessionis pertaesus anno 1629 curiis dimissis per XI annos ex suo arbitrio imperium gessit. Quo temporis spatio rex invidiosam illam animorum voluntatem peperit, quae postea in longo, quod dicitur, parlamento exarsit, et velut materiem praebuit igni, quo ipse postea conflagraret. Qui quum suum arbitrium pro lege esse vellet et summa licentia tributa exigeret et jurisdictionem corrumperet et militem perpetuum habere studeret, nonne civium libertatis studium violavit? quum bella turpia gereret et protestantes Germanicos projiceret, nonne Britannorum opum fiduciam et gloriae amorem infregit? quum Catholicis poenae remissionem daret et dei cultum ex catholico more in reginae aula concederet, nonne suspicionem movit, ipsum catholicae doctrinae favere? quum eos, qui ab ecclesia publica alieni erant, gravissime vexaret, nonne invidiam et fremitum eorum civium excitavit, qui per ipsas de re-

[1]) Ranke Engl. Gesch. II. p. 132.

bus divinis opiniones ei reipublicae generi favebant, in quo ipsi cives gubernarent, quosque, jam diu in perpetua oppressione versantes, tristes et tetricas opiniones finxisse, quae ulciscendi cupiditatem non occultarent, minime mirum videtur? Accedit, quod Carolus ad consilia exsequenda duobus ministris usus est, quos apud populum invidiam excitare necesse erat, Straffordio, qui in parlamento Hiberniae anno 1639 regnum instar divinae majestatis esse dixit et in majorem regis gloriam militem perpetuum constituere studebat, atque Laudio, qui vellet, ut omnes Britanni uni divinae doctrinae addicti ecclesiae ministris, hi inter se, omnesque rege inferiores essent. Ac primum quidem certamen in Scotia ortum est. Ubi quum Jacobus a. 1615 V capitibus Perthianis Episcopalem ecclesiam perfecisset, Presbyterianorum clerici ira exacerbati inter activam et passivam obedientiam discrimen interponere coeperunt. Aperte enim magistratui repugnare et tumultuari non cum divina lege constare existimabant; jussa autem, quae ex ipsorum doctrina non legitima essent, non exsequi non dubitabant. Nam „non repugnare" passivam esse obedientiam, ea uti satis esse. Veluti Calderwood VII, 236: „pati, inquit, quam agere malumus; etenim patientia est obedientia [1]". Quam doctrinam ut excederent et occulta haberent solennia, Laudii vexationibus factum est. Atque quum insuper Carolus anno 1636 Anglicano corpore juris canonici et Anglicana liturgia uti

[1]) We will rather suffer, than practice; to suffer is also obedience. Ranke II. p. 245.

Scotos juberet, omnes Presbyteriani, deo magis obedire se debere quam hominibus, professi sunt. Anno 1637 die 23 Mens. Jul. cives Edini seditione facta et in divinis et in publicis rebus obedientiam retractaverunt, et eodem tempore clericis nonnulli Fifae supplicationem ad secretum regis consilium fecerunt, in qua scriptum erat: „Neque clericorum presbyterianorum collegio neque parlamento illum librum probatum esse; suam ecclesiam esse liberam ac solutam non minus quam universam civitatem. Civium bonorum esse, quid reipublicae conduceret, clericorum, quid ecclesiae, judicare [1]).“ Ita repugnantia civium in divinis rebus erat conjunctissima cum rebus publicis. Quamquam etiam in magno conventu, anno 1638 die 28 mens. Febr. habito, quem „covenant“ appellare solemus, Scoti nil nisi Caroli conamina Anglicanae ecclesiae Scotiam subjiciendi recusabant. Ut prior conventus anni 1581 catholicae Mariae studia repressit, sic alter publicam Scotorum disciplinam, a Carolo ex Anglicanae ecclesiae rationibus impugnatam, defendit. Sed usque ad id tempus negabant se ipsi regi resistere, immo pro deo et rege contra episcopos se pugnare dicebant. Considerantibus autem nobis, quid tum principes Presbyterianorum, Johnston et Henderson, a Carolo petierint, ex illo pro presbyteriana doctrina certamine et ex democratica illa Presbyterianorum conventuum disciplina superioritatis populi doctrinam oriri necesse fuisse liquebit.

Quamquam enim privilegium de Episcopali eccle-

---

[1]) Ranke II. p. 261.

sia jus dicendi semper in summis regis „superioritatis“ juribus fuerat, confidenter postulaverunt, ut de Scotorum episcopis a Presbyterianorum synodo judicium fieret; in quo conventu multi quoque laici sententiam ferebant. Sic regis privilegium concioni mandatum esset, cujus auctoritas populi creatione continebatur. Repudiasse Carolum postulata illa vix dicendum esse videtur. Dignissima, quae in historia superioritatis populi memoretur est, synodus illa Presbyterianorum Glasgoviensis habita die 21. Mens. Nov. 1638 ad quaestiones de ecclesia Scotorum disceptandas. Carolus enim libro illi ritus Anglici a Scotis adhibendo renunciare coactus, hanc concionem fieri jusserat. Atque in eligendis his viris delecti quidam populi rationibus faventes eo consilio praeerant, ut delegati, quum convenissent, episcopatum prorsus tollendum esse decernerent. Quapropter quum is, qui pro ipso rege concioni interesset, discedere synodum jussisset, Henderson, de quo supra diximus: „Licet, inquit, ille curator domini sui privilegium defendat, altera est praerogativa Dei ecclesiae, quam tueri nostrum est [1].“ Atque revera concio regis imperio non obsecuta, consilia habere perrexit suique juris esse declaravit de episcopis judicare. Apparet igitur, studio dei ecclesiam tuendi commotam, synodum eo progressam esse, ut regi non obediret: quo accidit, ut etiam in reipublicae administratione obedientiam retractaret atque seditionem faceret. Neque vero dei ecclesiam se esse synodus illa contendisset, nisi persuasum ei fuisset, conventibus

[1]) Ranke II. p. 295.

singulis pastores et, qui ecclesiasticis rebus praeessent, libero suffragio eligendos esse. Quomodo igitur ex Calvini doctrina superioritas populi deducta sit quantumque ad civilia bella Anglica movenda valuerit, hoc loco cernimus. Conventu illo habito, Carolus, exercitu contra Scotos seditiosos coacto, a. 1637 in castris Dunkershillianis a militibus, qui dubia fide essent, postulavit, ut jurejurando se obstringerent, se, quaecunque imperata essent, contra societates turbulentas, etiamsi religionem praetenderent, facturos esse. Unde apparet, ipsum regem quoque cognovisse, ex religione adversariorum nasci etiam in rebus publicis repugnantiam. Die autem XVII Mens. Jun. 1639, pace Bervickiana facta, rex coactus est synodos Presbyterianorum et parlamenta, quae certis temporibus convocarentur, concedere. Episcopatus sublatus est. Deinde parlamentum, quod die 31 mens. Aug. considere coepit, statim tantam potestatem sibi sumpsit, ut regis auctoritas inane nomen fieret. Quid? quod quum rex in longiorem diem concilium proferret, parlamentum (id quod nunquam ad id tempus factum erat) negavit, jure illud a rege fieri neque regi obsecutum est. Sic Scoti quum de rebus divinis opiniones adversus regem Britanniae defenderent et sacra sua instituta tuerentur, etiam publicas sibi et summas libertates et privilegia vindicabant, sine quibus se illas servare non posse arbitrabantur. Neque tamen etiamtum agendi rationem in aperto profiteri ausi sunt neque, quum armis captis in Britanniam invaderent, pro rege preces facere dubitabant. Jam vero Scotica seditione et regis an-

gustiis incensa, quae jam diu in Britannia gliscebat, invidia et sollicitudo animorum exarsit. Quum enim a. 1640 rex parlamentum convocasset pecuniae ad Scoticum bellum quaerendae causa, popularis factio regis inopia usa in perpetuum regem obstringere constituit, ut cum parlamento faceret. Atque in Britannia quoque timore vexationum ob res sacras factarum et metu Romanae curiae ante omnia multitudo commota est, et Puritani imprimis veriti, ne cum inimicissimis Episcopalibus aut cum Catholicis faceret, regem in summa discrimina adduxerunt. Atque non nisi auctores et principes seditionis ab initio id potissimum egerunt, ut libertates civiles quoque undique circumventas defenderent et augerent. A clericis autem episcopalibus eodem tempore convocatis doctrina de summo regis arbitrio et quae ex ea sequuntur, repetita est: „regnum esse summum et sanctissimum ordinem jure divino et veteris et novi testamenti praeceptis in omnium gubernationem nominatim constitutam, ipsiusque ecclesiae imperium regi traditum esse. Atque qua custodia cives per regem fruerentur, eam rependere tributis, vectigalibus, stipendiis et naturali et gentium juri et divinae legi congruere. Arma autem adversus regem ferre quemquam sive aggressurum sive defensurum, dei praeceptis adversantis esse [1].“ De clericis quidem episcopalis ecclesiae hactenus.

[1]) Ranke II. p. 394.